& pro viribus fugit. Jussus accipere dignitatem renuit, hic taciturnitatem jussus decenter non paruit. Naxera in Jos. 18. §. 18.

Ego servus tuus vadam, & pugnabo adversùs Philisthæum. 1. Reg. 17. 32. David ad regnum minimè se ingerit; obedientia accersitur: *misse, & adduxit eum.* 1. Reg. 16. 11. 12. Sed ad honorem Dei tuendum seipsum intrudit. Naxera in Jos. 18. §. 18.

Omnes ejecit de templo. Joan. 2. 15. O quàm uterini germani sunt, & honoris proprii despectus, & honoris divini zelus! Qui propriis honoribus inhiat, haud zelabit divinos: ad gloriam ardebit divinam, qui magnanimè contemnet humanam. Idem ibid.

§. VI.

Honor noster Deo curæ.

Tolle filium tuum. Gen. 22. 2. Deus secretò, & interna locutione, dixit Abrahæ; ut sibi filium immolaret. Sed postea v. 11. jam evaginantem gladium videns, ecce *Angelus Domini de cœlo clamavit.* Cur antè ad aurem submissè locutus, postea validè clamat? Credo, ut tanti Patriarchæ honori consuleret.

Nam si Isaac Deum priùs præceptum non audiret revocantem; forsan crederet, patrem affectu paterno à divino obsequio revocatum. Nè ergo sinistrè de eo cogitet, testatur Deus clamore, Abrahamum ab illo sacrificio non aliter, quàm divinitus, impeditum. Mendoza in 1. Reg. 6. Annot. 20. sect. 2.

Jacob vir simplex. Gen. 25. 27. Jacob materno, seu potiùs divino consilio inductus, fratri Esau paternam benedictionem præripuit. Genes. 27. 28. Quis non crederet, Jacobum perversa fuisse calliditate? Ita videtur censuisse ipse Isaac. cap. 27. vers. 35. *venit germanus tuus fraudulenter.* Ita & frater suspicatur. vers. 36. *justè vocatum est nomen ejus Jacob.* Ita necesse erat, ut Jacob patris, & fratris testimonio in manifestam apud posteros infamiam fraudolenti veniret. Quid ergo Deus; ut Jacobum ab infamia liberaret, ejus simplicitatem paulò antè prædixit: *Jacob vir simplex.* Idem ibid.

Et deposuit ea. 1. Reg. 17. 40. Exuit David arma Saulis, quæ induerat; & pastoralem ornatum assumpsit. Saul ei arma porrexit; verùm David ea minimè gestare poterat. Quamobrem? Nimirum Deus minimè permisit, id scilicet agens, ut, nudus victoriam adipisceretur; nè arma rei feliciter gestæ, ac victoriæ partem, sibi non vendicarent; rexque armis suis victoriæ partem adscriberet. Sanct. Chrysost. in Psalm. 50. q. d. Deus integram præclari facinoris laudem servo suo David reservavit: nam multùm tuetur, & honorem curat, ac famam, servorum suorum. Pinna in Eccles. Eth. 244.

Percussit Dominus parvulum &c. 2. Reg. 12. 15. Davidis veram etiam infamiam ex adulterio contractam Deus absconditam voluit: nam filium ex adulterio natum morti tradidit Deus etiam ad multas ejus preces; nè diutius viveret adulterii memoria. Theodoretus q. 26. quamobrem infantem recens natum morti tradidit Deus? vivus erat futurus argumentum sceleris, & iniquitatis. Pii erga regis, qui erat etiam Propheta, curam gerens Dominus, non finit eum vivere. Mendoza in 1. Reg. 6. Annot. 20.

Cecidit ignis Domini. 3. Reg. 18. 38. Vetitum erat lege veteri, nè quis extra tabernaculum sacrificaret. Deut. 12. 5. Et tamen Elias extra templum, quod tabernaculo successit, & in quo sacrificandi obligatio, quæ in tabernaculo fuerat, procedebat; extra templum, inquam, in monte Carmelo immolavit. 3. Reg. 18. 20. Quis non diceret Eliam divinæ Legis violatorem? sed ut Deus testaretur. Eliam non peccasse, imò gratum sacrificium obtulisse, ignem è cœlo misit, qui Sacrificium absumpsit: quod apud Hebræos erat clarum acceptionis indicium. Idem ibid.

Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos. Sap. 12. 18.

Rogavit eum à terra reducere pusillum. Luc. 5. 3.

Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo. Apoc. 1. 6. Rupertus hic: Rex, & Sacerdos, solus erat, Jesus. Reges, & Sacerdotes facere de servis peccati proposuerat; & idcirco sanguinem fundebat. Utrumque honorem non sibi retinuit, sed suis quoque communicavit. Sylveira hic.

TITULUS V.

HOSPITALITAS.

§. I.

Exempla, & prœmia.

Ex Veteri.

Abrahæ.

Sedenti in ostio tabernaculi. Gen. 18. 1. Sedens eos, qui præteribant, venerabatur: quia hospitalitatis sagenam expenderat, meruit & universitatis Dominum cum Angelis suis suscipere. Id. ibid.

Abraham, relictis omnibus, piscatum, hospitalitatis reti explicato, exiit; num alicubi esset viator? num peregrinus, & domum præteriit? Vide, quid senex faciat. Non famulo hoc onus imponit, quamquam trecentos decem, & octo haberet. Intellexit; negligens, & iners, esse servorum genus; nè fortè famulus somno opprimeretur, & interim mercator præteriret, & prædam amitteret. Idem in Ps. 48.

Si inveni gratiam in oculis tuis; nè transeas servum tuum. Gen. 18. 3. Hoc est admirabile! Beneficium das, non accipis. Verè enim ejusmodi res hospitalitas est; qua magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet. S. Chrysost. homil. 41. in Gen.

Ipse verò stabat juxta eos sub arbore. Gen. 18. 8. Habebat quidem Abraham in ampla familia expeditos vernaculos 318. & tamen nominem eorum ad serviendum hospitibus adhibebat; sed solus ipse, uxor, &c. S. Hieron. epist. 26. nec bonum, quod exercebat, per alios minuit; sed quasi præda reperta, humanitati solus incubuit, ipse pedes lavit, ipse vitulum portavit &c. S. Chrysost. hom. 21. in ep. ad Rom. c. 12. 13. *hospitalitatem sectantes.* Non dicit facientes, sed *sectantes*: instruens nos, ut non expectemus egenos, donec ad nos veniant; sed ad ipsos curamus, & sectemur.

Hospitalitatis exempla. Abraham excepit Angelos, & meruit Isaac. Gen. 18. 2. 10. Loth evasit incendium. Gen. 19. 2. 16. Rahab salutem est consecuta. Jos. 2. Vidua à fame liberatur, filiumque redivivum obtinet. 3. Reg. 17. Sunamitis impetrat filium. 4. Reg. 4. Zachæus salutem, sibi, & toti domui consequitur. Luc. 19. 9. Discipuli in Emaus meruerunt esse inter primos, qui eum resuscitatum videre. Luc. 24.

Et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Luc. 16. 22. Revera, fratres, parum se beatum credidit Abraham, si in ipsa superna gloria ab ipsa hospitalitatis pio cessaret officio, & solus donis frueretur divinis; qui hic humana bona, crudelem se credidit, si negaret. S. Chrysol. s. 121.

Quare nullum alium justum videt? non Noe, non Jacob, non Loth, non Isaac; sed Abraham? quoniam hospitalis erat; & in suum tabernaculum viatores pertrahebat. Itaque hujus inhumanitatis major accusatrix efficitur ipsa hospitalitas. S. Chrysost. t. 6. tr. in terræ motum. Ut reprehenderetur ejus inhospitalitas, propterea Lazarum apud Abraham videt. Theophylactus in Luc. hic.

§. II.

Exempla alia.

Ex Veteri.

Festina, & salvare ibi. Gen. 19. 22. Evadit ignes, evadit incendia; ob hoc solùm, quòd domum suam patefecit hospitibus. Origenes hom. 5. de Loth.

Tenuit eum. 4. Reg. 4. 8. Tantus debet esse affectus hospitalitatis, quòd etiam cogendi sint hospites. Blesens. ser. 4. de B. Lucia.

Ac familia multa nimis. Job 1. 3. Origenes l. 1. in Job legit: *ministerium copiosum.* Et subjungit: certùm est, quod & mensa ejus, atque sedes, & ministerium copiosum. Sed plus erat ministerium copiosum, quod ministrabat hospitibus, & advenientibus, infirmis, destitutis, pauperibus, & infelicibus, Pro horum omnium susceptione nimirum copiosum habuit ministerium.

Ini consilium. Is. 16. 3. q. d. ait S. Hieron. vis cladem evadere ò Moab, Deumque tibi propitium, & protectorem, reddere? accipe consilium, quod suggero: pone quasi noctem umbram tuam in meridie; absconde fugientes. Symbolicè: sicut meridies, & æstus, significant ingentem calamitatem, quia in meridie sol maximè urit; ita umbra, & nox significat ejus remedium, refugium, & refrigerium. Unde Is. 4. 6. dicitur: *erit in umbraculum diei ab æstu.* Sensus ergo est: ò Moabitæ, vultis esse salvi, vultis evadere manus Nabuchodonosoris? facite, quod dico: Israelitas cognatos, & vicinos vestros patria exules, humaniter excipite cognatos, & vicinos vestros patria exules, humaniter excipite, fovete, protegite. Vis evadere miseriam? esto misericors in miseros. Vis suscipi cœlo? suscipe peregrinum hospitio. Corn. hic.

Ex Novo.

Qui recipit Prophetam &c. Matth. 10. 41. Qualem mercedem habet, qui propter Deum peregrinatur; talem habet, qui suscipit peregrinantem: & fiunt ambo æquales; & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat. S. Chrysost. hic.

In sepulturam peregrinorum. Matth. 27. 7. Disce & hoc; quòd & apud Judæos fuerit in pretio hospitalitas: unde in sepulturam peregrinorum agrum illum emerunt. Theophylactus hic.

Rogabat illum quidam. Luc. 7. 36. Hospes, & egenus, Jesus acceptabat oblata suffugia, semper præintendens animi capium exercere: nam & illas ubilibet modis omnibus venabatur. Simon Cass. l. 9. c. 29.

Mulier quædam Martha nomine. Luc. 10. 38. Christus Marthæ morienti adfuit dicens: veni hospita mea dilectissima: quia sicut tu me in domum tuam recepisti; sic ego te mecum in cœlum recipiam. Corn. hic.

Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. Luc. 19. 9. S. Bruno ser. in Dedic. Eccl. qui hujus domus habitator est, jam non publicanus, sed filius Abrahæ. Abrahæ namque filii sunt, quicumque Abraham imitantur, & Abrahæ opera faciunt. Et Abraham quidem Angelos; Zachæus verò Angelorum Dominum, hospitio suscepit.

Facite homines discumbere. Jo. 6. 10. Discamus ex hoc miraculo, nè pusillanimes simus in angustiis, & paupertate; neque timidi simus in hospitalitate, & communione: sed credamus, quòd etiamsi tantùm unum panem habeamus, illum multiplicaturus sit, qui ex quinque panibus tantùm superesset, fecit. Idem hic.

Caveamus, nè si nos duri, aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus; etiam nobis post vitæ istius cursum Sanctorum hospitia denegentur. Sanct. Ambros. l. 1. de Abrah. cap. 5.

TITULUS VI.

HUMANITAS.

§. I.

Trahit animos.

Progrediens adoravit pronus in terram septies. Gen. 33. 3. Quid Esau ad hanc urbanitatem? *Currens itaque Esau obviam fratri suo amplexatus est eum.* v. 4.

Intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa. 1. Reg. 7. 1. Aminadab præ reliquis Arcæ custos deligitur, cùm tamen dignitatem illam non ambiat. *Aminadab*, idem est, quod *Urbanus*, ait S. Gregorius hic. Et nimirum talibus Arca Dei committenda est: populus namque spontaneus est, quem ad exercenda virtutum opera sola bona voluntas trahit. Naxera in Jos. 9. §. 10. Urbanitas impetrandi artificium.

Quæ nulla armata manus efficeret, effecit officiosa manus prudentis Abigail; hostem lenivit, amorem sibi conciliavit, & regale conjugium. Baeza t. 2. l. 8. c. 2. §. 8.

Quis me constituat judicem super terram; ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & justè judicem. 2. Reg. 15. 4. quo animos popularium ita devinxit, ut, Scriptura teste, ad primum buccinæ clangorem *toto corde universus Israel* sequeretur *Absolon.* v. 13.

Quidam de primoribus Hispaniæ rogatus: qua arte sibi totius populi animos obstrinxerit? pileo inquit, & crumena. Scilicet humanitate erga quosvis, & liberalitate. Alvarez Illustrat. 250.

§. II.

Humanitas auget, non minuit, reverentiam.

At ille clementer resalutatis eis. Gen. 43. 27. *Adoraverunt proni in terram.* Non adorarunt ob convivium splendidum.

Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Jos. 5. 14. scilicet, ut Lyra ait, in adjutorium vestrum. Quid tunc Josue? *cecidit pronus in terram, & adorans ait &c.* Angelus Josue urbanè alloquitur; utque illum honoret, sub ipso quodammodo mereri exambit; & ideo reverenter, ut Dominus, adoratur: *quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Naxera in Jos. 5. §. 20. Urbanitas est amoris, & onoris usura.

§. III.

Humanitas Dei, & Christi Domini.

Ex Veteri.

Abscondit se Adam à facie Domini. Gen. 3. 8. Fugit, & timuit Deum inclamantem. Nunc autem legimus. Luc. 15. 1. *erant appropinquantes ei publicani, & peccatores.* Rationem dat Paulus Philipp. 2. 7. *venit in similitudinem carnis peccati factus, & habitu inventus ut homo.* Fernandius hic sect. 23.

Cavete, ne ascendatis in montem. Ex. 19. 12. Sed Christus ait. Matth. 11. 28. *venite ad me omnes.*

Loquebatur - facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Ex. 33. 11.

Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo; & factus est eorum princeps. 1. Reg. 22. 2. de Davide.

Non sunt tantò quidam magis impii, quantò est benignior Deus, ac humanior. Clemens Alexand. orat. adhort. ad Græcos.

TITULUS VII.

HUMILITAS.

§. I.

Symbola, Similitudines.

Num. I.

Comparantur nigredini.

Nigra sum, sed formosa. Cant. 1. 4. quia immunda putabatur, *quia decoloravit me sol*, scilicet Filius meus exemplo suo fuscum hunc mihi colorem indidit. Nam & ipse, cùm sit agnus innocens, voluit circumcidi, acsi peccator esset: quomodo ergo me non purificarem, etsi purificationis legi non subjacerem. De Ponte hic Exh. 23. de Purif. B. V.

Nigra quasi corvus. Cant. 5. 11. Capilli Christi sunt viri sancti, præsertim Religiosi, & Apostolici. Hi nigri sunt, ut corvus; qui viles, & peccatores, se reputant; ideoque magis à Deo exaltantur. Ita Beda, Nyssen. Cassiodorus. S. Gregor. Richard. à S. Victore. Viri sancti, velut capiti Christi cohærentes, non tantùm sunt velut elatæ palmarum sanctitate sublimes; sed etiam humilitate nigri: quia, quamvis virtutibus in cœlum se erigant; semper tamen peccatores se esse cognoscunt. S. Greg. hic.

Capilli animæ sunt variæ cogitationes. Persona existens in gratia habebat capillos nigros, idest, cogitationes humiles, cogitando proprios defectus, quos peccator non cognoscit. S. Vinc. Ferr. s. 3. D. 19. post Trinit.

Nigrescere faciam stellas ejus. Ezech. 32. 7. hoc est, ut ait S. Thomas, justos omnes, qui in Ecclesiæ firmamento sunt; quòd in cœlo stellæ, videlicet ardentes spiritu charitatis, lucentes verbo Veritatis, nigrescentes virtute humilitatis.

Num. II.

Alia Symbola.

Ex Veteri.

Vidit Angelos ascendentes, & descendentes per eam. Gen. 28. 12. Non est confusus, se ad formam servi exinanire; ut, qui de fraternitate ejus gloriantur, & volunt ascendere; sed eidem scalæ cum Jacob innitantur; & cantantes canticum graduum ab imis ad superiora conscendant. S. Cyprianus de Nativ. D. Per Angelos designantur Sancti, quorum est ascendere ad Deum, & descendere ad proximum. Ascensus Angelici sunt illuminationes, & meditationes, ascendentes in cœlum: descensus verò sunt considerationes peccatorum & miseriarum omniumque defectuum, nostrorum, & condescensivæ compassiones ab proximum. S. Tho. Aqu. hic.

Apparuitque Dominus, in flamma ignis. Ex. 3. 2. Cur in igne Dominus? Educturus ex Ægypto filios Israel, Moysem ablegat; ideoque ex igne eum docere voluit, qualis esse debeat populorum, & animarum liberator. Ignis enim, cùm elementorum primas sit, & in cœlo regni sui sedem habeat; ut Deo tamen obsequatur, non recusat infra omnes esse, & in inferno concludi ad impiorum pœnam, factus ex supremo postremus. Quique in cœlo blanditur, non urit; in gehenna nocentes immanissimè torquet. Qui animarum curæ destinantur; licèt excelsa teneat, infima non declinet? Oliva l. 9. Strom. hic. Et licèt mitissimus sit, cùm stellis circumdatur; furere debet, & sævire, quando perduellibus immiscetur.

Ut tollant mihi primitias. Ex. 25. 2. Primitias bonorum nostrorum Domino tollimus, quando, si quid boni agimus, totum hoc divinæ gratiæ tribuimus; veraciter, & intimo ex corde profitemur: quòd nè initium quidem bonæ actionis, aut cogitationis, nisi à Domino possimus habere. V. Beda l. 1. de tabernaculo c. 3.

Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset. 1. Reg. 13. 1. idest, humilis, & quasi parvulus. *Duobus autem annis regnavit super Israel*, idest, justè rexit populum. In reliquis annis quasi tyrannus fuit, & non rex. Hugo Card. hic.

Septies cadet justus, & resurget. Prov. 24. 16. Idest, quotiescumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus, ad humilitatem perducentibus intelligi voluit. S. Aug. de Civ. l. 11. c. 31.

Nardus mea dedit odorem. Cant. 1. 11. Est nardus humilis herba; quam & calidæ ferunt esse naturæ: & ideo per hanc videor mihi

non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere; sed quæ sanctis amoris vaporibus flagret. S. Bernardus serm.42. in Cant.

Lampades ejus, lampades ignis. Cant.8.6. Dei spiritus iis oblectatur, quibus delectatur & flamma: hæc non auro, argento, gemmis; sed stipulis, fœno, ligno, vilibus nutritur: Ut intelligas, in te Dei Spiritum non residere, si vilia refugis, & splendidis innutriris. Oliva l.9. Strom.hic.

Vas admirabile, opus Excelsi. Eccl.43.2. Et bene admirabile: quia; dum impletur, capacior fit. Bonav.diæt.sal. de humilitate.

Posui arenam terminum mari. Jerem.5.22. Rabanus Maurus ait: arena humiles significat; quos Deus posuit ad vincendum tumorem superborum.

Super quem videritis Thau. Ezech.9 6. Signum Thau significat humilitatem triplici ratione. 1. quia significat Crucem Christi. 2. quia Thau interpretatur *Subter*. 3. quia Thau est ultima littera Hebraica. S. Vinc. Ferr. fer. 1. D. infra Oct. Nat.

Canet ibi juxta dies juventutis suæ. Oseæ 2. 15. Sept. Syrus; *humiliabitur ibi*. Symmachus, *afflietur ibi*. Nam Hebræum ana, & humiliari, & affligi, & canere, significat. Corn.hic.

Num. III.

Ex Novo, & Patribus,

Stetit suprà, ubi erat puer. Matth.2.9. Licèt cœlestem fuerit originem nacta, non dedignatur dimitti ad stabulum usque; ut hominibus præbeat ducatum. Baeza l.1.c.8.§.7.

Arborem attendite: petit ima priùs, ut sursum exerescat. Figit radicem in humili, ut verticem tendat in cœlum. Numquid nititur nisi ab humilitate? tu autem sine humilitate vis excelsa comprehendere: sine radice auras petis. Ruina est ista, non incrementum. S. August. serm.38. de Verb.Dom. in fine Humilitas mons magnus est; in cujus summitate lux est non modica, & honestarum personarum, idest, Sanctarum virtutum pulcherrima turba. S. Anselmus lib. similit.c.99.

Citò turgens spuma dilabitur. Et quamvis grandis tumor, contrarius sanitati est. S. Hieron. ep.26.

Duo ædificia, & duæ civitates, à Mundi initio construuntur: unam ædificat Christus, alteram diabolus; unam ædificat humilis, alteram superbus: una humiliatur, ut firmiter surgat; altera erigitur, ut infeliciter cadat. S. Cæsarius hom.18.

Humilitatis plantam diligamus, cujus fructus cœlum. Sanct. Basilius Seleuc. super illud: nisi efficiamini sicut parvuli &c.

Cœlorum regnum gloriæ amantem candidatum respuit? ambitiosa vota repellit: humilitatis merces est, non stabulum ambitionis. Id. ib.

Ipse flos lilii tam altus, tam candidus, tam jucundus, semper reclinatur ad terram. Quid nobis per hoc aliud, quàm humilitas commendatur? Caput enim inclinare ad terram, est mentem nostram ad generationem terrenam, & fragilitatem de terra contractam, inflectere: nè de nobis aliquid præsumere omnino audeamus, dum nos lutum, & cinerem esse consideramus. S. Bernardus tr. de Pass. D. c. 29. Lilium Lem.

Celsum respicit imo.

Quid est aliud, in faciem cadere, quàm illud etiam, quod in se præcipuum, vel optimum est, alta consideratione despicere: & illud utique, unde aliis innotescere, & velut venerandus apparere, consueverat; tamquam infirmum, & penè, vel penitus, nihilum reputare. Richardus à S. Vict. de erudit. inter. hom. c. 36.

Nullum in genere granorum inveniri potest adeò nobile, & adeò dulce, & minùs ventosum, quod humilitatem signat, sicut granum frumenti. Sanct. Albertus Magn. tract. 1. de Euch. dist. 3. cap. 1.

Sicut ramus, in quo pendet fructus; & sicut spica plena grano, respicit, & declinat versùs terram: sic anima humilis, quæ instar rami, est onusta fructibus bonorum operum; & admodum est plena granis virtutum, respiciit terram, idest, propriam fragilitatem. S. Bonav. diæt. sal. de humil. cap. 36.

Incinerat se, & pulverizat; & sic suaviùs fragrat: sicut herbæ, & species aromaticæ, plus redolent, quantò sunt minutiùs tritæ, & pulverizatæ. Unde dicitur Cant.3.6. *quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & universi pulveris pygmentarii*. Idem ibi.

Est luminosa instar sideris radiosi. Nam sicut sidus, vel stella, est modica in apparentia; cùm tamen sit major tota terra: sic humilis cùm sit parvus, in veritate est apud Deum maximus Idem ibid.

Est instar lapidis pretiosi: nam tales sunt ut plurimùm quantitate modici, & virtute magni. Idem ib.

Verum bonum eodem agnoscitur modò, quo verum balsamum. Si enim aquæ immissum fundum petat, purissimum, & pretiosissimum reputatur. Sic, ut sciatur, num verè quis sapiens, doctus, nobilis sit? despiciendum, num opera ejus humilitatem, modestiam, & submissionem spirent. S. Franc. Salesi. p. 3. c. 4.

Humilitas similis arboriilli, quæ in insulis Tyli enascitur, per noctem rubicundos suos flores occludenti, & non nisi sole exoriente recludenti. Sic humilitas omnes nostras virtutes, & perfectiones, tegit; &, non nisi charitate exigente, eas exerit, & prodit. Id. ib.c.5.

Sanctum chrisma, cujus ad Confirmationem, & benedictiones usus est, ex oleo, & balsamo. Symbolum humilitatis; quæ, ut balsamum, ima petit; & charitatis, quæ summa. Idem ibid. cap.8.

Humilitas mihi videtur esse sicut fulgur; sicut enim fulgur facit percussiones terribiles, & postmodum nihil potest inveniri ex eo; sic humilitas dissipat omne malum, & facit hominem nihil se reputare. B. Ægidius tertius Socius S. Francisci.

Ubi quis pulchros characteres exaraverit; jacit super illos pulverem: non tamen fœdantur; sed potiùs pulveris injectione defœdatio illa antevertitur. Hic pulvis est humilitas, quæ Abraham, licèt magna in Dei obsequium fecerit, ea operuit, dum pulverem se vocat. Gen. 18. 27.

Cinis Symbolum humilitatis. Lem. *Contectum conservat*. B. Petr. Dam. fer.3. in Nat.S. Jo.Bapt.

O beatæ humilitatis excelsa majestas! quæ dum suo judicio in ima deprimitur, divina provehente clementia ad cœlestia sublevatur.

Sagitta. Lem. *Depressa magis consurget in altum*.

Luna. Lem. *Aliena luce. Quid autem habes, quod non accepisti?* 1. Cor. 4. 7. Picinelli.

Magnes inter gemmas positus ferrum trahit. Lem. *Pretiosa relinquit*. Idem.

§. II.

Humilitas Christi Domini.

Ex Veteri.

Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ. Gen. 2. 7. Terra fuit Christus in Passione: terra infimum locum tenet; & plus non potuit descendere: nec Christus magis potuit humiliari, quàm ut pateretur pro nobis. Hugo Card. hic.

Rebecca conspecto Isaac descendit de camelo. Gen. 24. 64. Anima Christiana! si videris Sponsum tuum Isaac ire peditem; debes tu, ad imitationem Rebeccæ, teipsum operire chlamyde; eò quòd pudere te debeat, videre Jesum Christum in ignominia, & te in alto hujus Mundani honoris camelo, constitutum. Stella par. 1. c. 3.

Cumque amplexatus cecidisset in collum Beniamin. Gen. 45. 14. Joseph exosculans, super omnium colla cum mira compassione recumbit; sed specialiter super Beniamin uterinum. Allegoricè per Beniamin designatur hic Christus humillimus, virorum novissimus; sine quo nullus Patrum potuit videre faciem Sapientiæ Dei, qua instar Joseph omnia regit. S. Thomas Aqu. hic.

Cùmque complesset sorte dividere. Jos. 19. 49. Mirare modestiam Josue, qui omnibus aliis sortes divisit; suam ultimus accepit datam à populo. Fuit typus Christi, cùm primus esset omnium, imò α, & ω. Apoc. 1. 8. pro nobis factus est virorum novissimus. Corn. hic.

Incubuit super puerum. 4. Reg. 4. 34. ut puerum resuscitaret: humiliavit se Christus, ut Mundum in peccatis jacentem erigeret. Misit Elisæus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres, quantùm se vir ille perfectæ ætatis contraxit; ut parvulo mortuo, & jacenti congrueret. Quod Elisæus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit. S. August. D. 5. Trinit. s. 2.

Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti. Ps. 7. 7. Idest, quia humilitatem præcepisti, humilis appare. S. August. hic.

A summo cœlo egressio ejus. Ps. 18. 7. & usque ad Bethlehem descensus ejus. S. Bernardus hom. D. inf. oct. Epiph.

Ut jumentum factus sum apud te. Ps. 72. 23. Jumentum designat summam Christi humilitatem. Cornel. hic.

Erit in novissimis diebus. Is. 2. 2. Magnum in Christo humilitatis magisterium, quando suo in terras adventui non elegit tempus primum, sed postremum. Arcones hic. Disc. 2.

De radice Jesse. Is. 11. 1. Cur Propheta hic Jesse maluit nominare, quàm David? cùm non ad Jesse patrem, sed ad filium hujus David floris hujus repromissio facta sit. Dicimus: quòd quia David, pro majestate regia, persona fuit sublimis; Jesse verò, qui & ipse dictus fuit Isai, ordine, vel statu, multò humilior fuit; adeò ut multoties Davidijam regi ab inimicis improperaretur, quòd esset filius Isai. Porrò adversùs superbiam Assur, idest, diaboli nunc sermo erat; & velut antidotum humilitatem medicinalis gratia promittebat. S. Rupertus hic.

Ex Novo.

Ego veniam. Matth. 8. 7. Quantùm divinæ humilitatis insigne; ut Cœli Dominus nequaquam dedignaretur Centurionis servulum visitare. Quod utique non ideò faciebat, quia absens curare non poterat; sed ut formam tibi daret imitandæ humilitatis; qua

quà juxtà humilioribus doceret, ac superioribus, deferendum. Denique alibi dicit: *vade, filius tuus vivit*. Joan. 4. 50. Ut scias & potentiam divinitatis, & humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, nè in Reguli filio videretur magis divitiis detulisse: hic ipse perrexit; nè videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse servilem. S. Ambros. l. 5. in Luc. 7.

Ascendente eo in naviculam. Matth. 8. 23. In naviculam, non in navem ascendit: ut signetur, Dei Filium vehiculo humilitatis vehi. Escobar hic Obs. 2.

Confide fili. Matth. 9. 2. O mira humilitas! despectum, & debilem, filium vocat; quem Sacerdotes non dignabantur attingere. S. Hieron. hic.

Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi. Matth. 26. 37. Origenes tr. 35. in Matth. ad hos autem adduxit eos, maximè Petrum, magna de se confidentem: ut videant, & audiant, ubi est posse hominis, & quomodo impetratur. Videant eum cadentem in faciem suam.

In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Luc. 1. 26. In hoc, quòd humilem jocum elegit, humilitatem commendavit; & nos docuit, ut nos illa loca eligamus, quæ possunt de nobis magis, quàm nos de ipsis, gloriari. Hugo Card. hic.

Invenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. 12. Certè cœlitùs annuntiatur humilitas, quia hæc quasi propria virtutis divinæ exhibenda sit majestati. Sanct. Bernardus ser. 4. in Nativ. Dom.

Ut circumcideretur puer. Luc. 2. 21, Christus in circumcisione profundiùs se humiliavit, quàm in Nativitate: in hac enim accepit formam hominis; in illa verò peccatoris. Cornelius hic. Dominus in Incarnatione minoratus est paulò minùs ab Angelis; sed in Circumcisione multò minus; quia latronis cauterio est signatus. Hugo Card. hic ex S. Bernardo.

Erat subditus illis. Luc. 2. 51. Erubescе superbe cinis! Deus se humiliat; & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit; & tu, dominari gestiens hominibus, tuo te præponis authori. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. S. Bernardus hom. 1 super Missus.

Dicebant excessum ejus. Luc. 9. 31. idest, excellentem ejus humilitatem, qua usque ad mortem Crucis se humiliavit. Hugo Cardin. hic.

Memento mei. Luc. 23. 42. Salvatorem tunc majestatis Dominum recognoscit, cùm videt humilitatis patientia cruciari. S. Maximus hom. 2. de Iatrone.

Et Verbum Caro factum est. Joan. 1. 14. & statim sequitur: *& vidimus gloriam ejus*. Quasi hæc filii Dei exinanitio, atque humiliatio, ejus divinitatem miro modo patefecerit. Incert. Auth.

Cœpit lavare pedes. Joan. 13. 5. Sedebant discipuli; at virtus omnipotentis Dei ad terram usque se dejecit; & Dominus dominantium coram illis genuflexit. Blosius Margar. Spir. par. 3. c. 1.

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. Joan. 13. 3. Antequam Joannes summam Christi humilitatem explicet, priùs exponit summam ejus majestatem. Sylveira hic.

Ex Patribus.

O verè divinam in ipsa humilitate Domini prospicientiam! quantò enim abjectior humilitas, tantò divinior providentia. S. Ambros. in Luc. 3.

Lac nostrum Christus humilis est; cibus noster idem ipse Christus æqualis Patri. S. Aug. tr. 3. in ep. S. Joan.

Signum ejus est humilitas ejus. Per stellam eum magi cognoverunt: & erat hoc signum de Domino datum, cœleste, atque præclarum. Noluit stellam in fronte Fidelium esse signum suum; sed Crucem suam. Unde humiliatus; inde glorificatus. Inde erexit humiles, quò humiliatus ipse descendit. Idem tr. 3. in Joan.

Factor omnium sit inter omnia: portatur manibus Matris rector totius orbis: lambit ubera regens sidera: tacet; & Verbum est. Idem l. 4. c. 4. de Symbolo ad Catechumenos.

Quemadmodum majestas ejus non comprehenditur, sic neque ejus humilitas. S. Macarius hom. 31.

O quanta humilitas! incomprehensibilis Deus vult comprehendi, summus humiliari, potentissimus despici, pulcherrimus deformari, sapientissimus fieri ut jumentum, immortalis mori; & ut compendio absolvam, Deus vult fieri vermiculus. S. Bernardus tr. de Pass. c. 17.

Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. V. Beda in Joan. 6.

Non est decens, militem sedere in scamno, si rex sederet in pavimento. Sic nos humiliari est necessarium; cùm videamus Regem gloriæ propter nos in tantum humiliatum. S. Bonaventura diæt. sal. de humilit. c. 36.

Quantò pro me egit viliora, tantò bonitatis suæ dedit indicia majora ipse parvulus lectulus; ipse pulli est niduluş. Gilbertus s. 2. in lectulo meo.

Tota vita Christi descensio est, per humilitatis, vilitatis, paupertatis, gradus: quousque inferna descendendo penetraret, & inde solùm misericordia dignos extraheret. Simon Cassia lib. 4. cap. 9.

§. III.

Humilitas à Deo, & ejus Filio Incarnato amatur, fovetur, æstimatur.

Ex Veteri.

Scyphum meum argenteum - pone in ore sacci junioris. Gen.44.2. Sicut Joseph lusit cum Beniamin, quem initio quasi furem premere, & vincire volle se simulavit; postea totum id joco factum esse ostendit; cumque amplexans cœteris fratribus prætulit: ità Deus agit cum humilibus. Sinit illos contemni, affligi; sed si humiliter; ac patienter, eà ferant; blandietur eis, eosque evehet: ut tantò fiant gloriosiores, quantò antè erant abjectiores. Ludus ergo Dei est humilitas. Corn. hic.

Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? 1. Reg. 15. 17. Acsi apertè diceret: magnus mihi fuisti, quia despectus tibi: sed nunc, quia magnùs tibi es, factus es despectus mihi. Tantò unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei; quantò præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. S. Gregor. mor. l. 18. c. 20.

Cumque deposuisset vestes regias &c. Esth. 14. 2. Valet apud Sæculum pompa, apud Deum humilitas. Esther, deposito ornatu regio, nititur Deum ad commiserationem flectere: cùm deposuisset vestes regias; fletibus, & luctibus apta indumenta suscepit. Regem verò mortalem pro clementia aditura, circumdata est gloria sua &c. c. 15. 5. &c. O prudentiam mulieris! sciebat, apud Dominum valere solùm virtutis meritum, non pretiosum corporis cultum: apud Sæculum verò virtutem sperni, pompam suspici. Idcirco ut hominum sibi conciliet gratiam, mœret; ut regis benevolentiam, refulget. Naxera in Jos. 21. §. 3.

In velamento alarum tuarum exultabo. Psalm. 62. 8. Parvuli sumus, ergo protegat nos Deus sub umbraculo alarum suarum. Quid cùm majores facti fuerimus? Bonum est nobis, ut & tunc protegat nos: ut sub illo majore semper nos pulli simus. Sine protectione Dei nihil es; semper ab illo protegi velimus. Tunc semper in illo magni esse poterimus, si semper sub illo parvuli simus. S. Aug. hic.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me. Ps. 85. 1. inclinat aurem, si tu non erigis cervicem: humiliato enim appropinquat; ab exaltato longè discedit; nisi quem ille humiliatum exaltaverit. Idem hic.

Dum esset rex in accubitu suo &c. Cant. 1. 11. Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus; ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respergat. S. Bernardus s. 42. hic. Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis majestas tam facilè se inclinat. Idem ser. 43. ib.

Lilium convallium. Cant. 2. 1. Lilium convallium se dicit, quia in humilibus elucet magis gratia. S. Ambrosius ser. 5. in Ps. 117.

Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu. Is. 66. 2. S. August. sic legit: *super quem requiescet spiritus meus? super humilem, & quietum*. Is. 66. 2. Vis ergo esse locus Domini? esto humilis, & quietus. S. August. in Psalm. 131. Tabernaculum tuum, Domine, humilitas est, in quo verè Spiritus S. requiescit. Thomas Kemp. de trib. tabern. c. 2. Habitator cœli, imò Creator omnium, qui in terris habere se templum denegat, humilem, & quietum, & trementem sermones suos hominem, libenter assumit in templum. S. Hieronym. hic. Est humilitas angusta tibi, ampla Divinitati: pauper, & insufficiens tibi; sufficiens ei, quem non capit orbis; copiosè, ac deliciosè reficiens illum, qui & Angelos pascit, Guarricus s. 3. in Assumpt. B. V.

Ex Novo.

Et ecce vox de cœlis Matth. 3. 17. Cur vox Patris auditur super Christum in baptismo? S. Hilarius in illa Psalm. 138. 1. verba de Christo, *Domine probasti me, & cognovisti me*, ità ait: Demonstrandum autem in Evangelio, ubi & probatus, & cognitus est. Humilitas itaque probatio ejus est. Unigenitus namque Deus baptizari tamquam peccator exposcit. Et probatus in istis omnibus. Probationem mox consecuta est cognitio: & quem humilitas probabilem fecerat, hunc Paterna vox Filium ostendit.

Cujus non sum dignus &c. tunc venit Jesus - ad Joannem. Matth. 3. 11. 13. En, quo magnete raptus. Qui, cùm statuisset jejunare priùs, quàm turbis immisceri; turbis sociatus ante jejunium est, ut audiret dicentem: *tu venis ad me &c.* Oliva lib. 1. Stromat. hic.

Ego veniam. Matth. 8. 7. Centurio humilitate præcessit. Ut dixit, hominem se esse; mox cor ejus Christus intravit. Oliva l. 1. Strom. Joan. 4. 50.

Domine, non sum dignus &c. Matth. 8. 8. Dicendo se indignum, præstitit dignum; non in cujus parietes, sed in cujus cor Christus intraret. Nam non erat magna felicitas; si D. Jesus intraret in parie-

parietes ejus; & non esset in pectore ejus. S. August. s. 6. de puero Centur. Non erat dignus, ut Christum domo reciperet; & jam corde receperat. Etenim Magister ille humilitatis, filius hominis, jam invenerat in illius pectore, ubi caput reclinaret. S. August. in Ps. 38.

Vulpes foveas habent &c. Matth. 8. 20. Vulpes dolus; volucres cœli, superbia est. Quid ergo respondit Dominus? Potest in te habitare superbia, & dolus; Christus in te non habet, ubi habitet in te, ubi reclinet caput suum: quia reclinatio capitis humilitas Christi est. S. August. in Ps. 90.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Matth. 11. 27. Non Mundi elementa; sed hi, quibus parvulis spiritu Sacramenta Filii Pater revelavit. V. Beda in Luc.

Et descendens Petrus de navicula. Matth. 14. 29. Descendit de navi Petrus, ut iret ad Jesum. Quamtumvis enim descendas, licèt in omnium infimum locum venias; ibi invenies, & habebis Jesum. *Si descendero in infernum, ades.* Joan. 1. 51. dicitur: quòd visuri simus omnes, *Angelus Dei ascendentes, & descendentes super Filium hominis.* S. August. ser. 41. Non diceret ascendentes ad Filium hominis, nisi sursum esset: non diceret descendentes ad Filium hominis, nisi deorsum esset: ipse sursum, ipse deorsum. Sursum in se, deorsum in suis. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. §. 9.

Et accipiens puerum, statuit eum in medio. Marcì 9. 35. Quòd complectitur puerum, significat, humiles suo dignos esse complexu, ac dilectione; talesque jure posse gloriari: *leva ejus sub capite meo.* V. Beda hic.

Intravit in domum Zacharia, & salutavit Elisabeth. Luc. 1. 40. Cur non Zachariam? audi humilem vocem: *unde hoc mihi &c.* Oliva l. 1. Strom. hic.

Ecce vir nomine Zachaus &c. Luc. 19. 2. *Statura pusillus*, hoc est nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, exiguus meritis. Sanct. Ambros. Divitiæ arboris obtinuerunt fastigium, præcurrens ascendit, non dignus, sed opulentus. Quàm morosè fastigium obtinuissent virtutes! quàm citò elatæ sunt facultates! Verùm ad videndum Deum nec humana valent fastigia; nec auri, nisi pauperibus erogata, prodest copia. Ideo ei præcipitur descensus: *Zachæe festinans descende*: quia Domini viso debetur humilibus, non superbis. Naxera in Jos. 13. §. 37.

Tu es Simon filius Jona. Joan. 1. 42. *Jona* dicitur *columba*. Tu es filius Jona, tu es filius Spiritus Sact. Filius ergo dicitur spiritus, quia humilitatem de Spiritu Sanct. acceperat. V. Beda hic.

Ex Patribus.

Altus est DEUS; erigis te, fugit à te. Humilias te; & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus est; humilia respicit, & alta de longe cognoscit. S. August. in festo Ascens. Dom. ser. 2.

Qui sine humilitate bona opera agit, in ventum pulverem portat. Qui sibi vilis videtur esse, ante Deum pulcher est. Qui sibi displicent, Deo placent. Esto ergo parvus in oculis tuis, ut tu sis magnus in oculis Dei. Tantò enim eris apud Deum pretiosior, quantò fueris ante oculos tuos despectior. S. August. de tempore. D. 9. Trinit. ser. 1.

O quàm excelsus es! & humiles corde sunt domus tua: tu enim erigis elisos; & non cadunt, quorum fortitudo tu es. S. August. l. confess. 11. c. 31.

Minimum discipulum Deus amat plurimùm. Inferiùs frater accumbe; ut, minore adveniente, sursum jubearis ascendere. S. Hieron. ep. 1. ad Heliodorum.

Non libentiùs Prophetarum ora, quàm humillimum hominem, osculatur Dominus. S. Chrysost. hom. 79. in Matth.

Manum Christus, quæ se indignam calceamentis esse dicebat, à pedum obsequio ad caput suum sublevavit. Idem hom. 3. in Matth.

Qui sibi vilis est, Deo charus est. S. Bernardus tr. de inter domo c. 28.

Nescio quo pacto familiariùs semper humilitati propinquare solet divinitas. S. Bernardus ep. 42.

Si vultis oculo misericordiæ, oculo gratiæ, à Domino respici, humiles estote: *humilibus* enim, sicut Scriptura dicit, *dat gratiam: quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Id. de Pass. c. 17.

Humilitas se attenuat, ut ametur à sponso: se annihilat, creetur de novo: se evacuat, ut impleatur à Deo. Se attenuat, & facit seipsam gracilem, ad domicellæ modum. Annihilat se, ut de novo creetur. Ipsa enim est illud nihilum, super quod Deus fundavit terram. Job 26. 7. *qui appendit terram super nihilum*; idest, animam super humilitatis fundamentum. S. Bonavent. diæt. fal. de humilit. c. 36.

Legitur in vitis PP. de quodam fratre bono, qui in suis orationibus non habebat ullas consolationes spiritus. Quia de re DEO conquestus: Domine, tot annis servio tibi; & tamen necdum dedisti mihi aliquam consolationem divinam. Subitò venit umbra magna, quæ ipsum prostravit semimortuum, dicens: donec te contempseris sicut lutum, quod calcas, non senties consolationes divinas. S. Vincent. Fer.

Tantò fit quisque pretiosior Deo, quantò propter eum fit vilior. S. Bernardinus t. 3. D. 10. Pent.

Quis est dignus sedere ad mensam Christi? qui spontè se humiliat pro amore Christi. Thom. Kemp. conc. 32. de Paschate.

Prætiosior coram eo est humilis, profundaque propriæ imperfectionis agnitio; quàm mirculorum, aliorumque grandium operum exhibitio. Blosius parad. an. c. 33.

§. IV.

Per humilitatem Deus magna operatur.

SAmson arrepta mandibula *interfecit mille viros*. Judic. 15. 15. *David quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno*. 2. Reg. 23. 8. Rupertus: per humiliora instrumenta Deus gloriosiùs triumphat. Salvian. l. de provid. c. 7. quando evidenter Deus intelligi voluit, magna opera à se patrari; aut per paucos, aut per infirmos: res acta est: nè opus cœlestis dexteræ virtuti assignaretur humanæ. Ideò quidem & dux Sisara, quem Hebræus timebat exercitus, à muliere prostratus est. Judic. 4. 21.

Humilitas ad nihilum peccatorem adducit, ut se nihil reputet, & in valore, & in virtute. Ex hoc nihilo fit recreatio, sicut ex nihilo simpliciter facta est creatio. Umbertus l. 4. de erudit. Relig. p. 2. c. 4.

Hoc non ignorabat David, qui dicebat; *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Ps. 50. 19. Qui etiam ait: *cor mundum crea in me Deus*. v. 12. Creatio Mundi cordis facta est ex nihilo humilitatis. Novarinus agn. Euch.

§. V.

Humilitas disponit ad divinas gratias.

PEllicula*que hœdorum circumdedit manibus &c.* Gen. 27. 16. Non erubescamus esse humiles, ut exaltemur. Sicut Jacob non erubuit reputari deformis, & pilosus; ut patris benedictionem consequeretur. Broymard. Humilitas.

Tintinabula de aure purissimo - in extrema parte tunica Exod. 39. 23. Nemo, opinor, ambigit; sanctioris amœnitatem vitæ malogranatis; aureisque tintinabulis, designari: hæc enim concentum cœli, illa verò gloriæ delicias, repræsentant. Suspendebantur autem ea ad oræ imas fimbrias; quas nemo non videt quasi in cœnum rejectas, & à gemmis Pontificis usque ad calceos ablegatas. Quæ ergo pars tunicæ putabatur abjectio, ea præ cœteris comptior, ornatiorque & renidebat, & sonabat. Oliva s. 4. D. Pass.

Et valles abundabunt frumento. Ps. 64. 14. In vallibus pinguedo est; ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus. Audis, quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas prædicatur. S. Bernard. ser. de S. Benedicto.

Qui emittis in convallibus. Psalm. 103. 10. Convalles humilitatem significant, quæ numquam sine fonte gratiæ est. Non est autem insolens; ut, qui montes sunt propter S. Spiritus magnitudinem, convalles sint propter sui Spiritus humilitatem. S. Prosper hic.

Qui bonus est, hauriet gratiam. Proverb. 12. 2. Sicut hauriens aquam, eò puriorem, & copiosiorem, haurit; quò profundior puteus: sic & justus majorem gratiam, quò major est animi ejus humilitas. Nam bonus hic quilibet justus intelligitur, sed præsertim humilis; inquit Beda, & Hugo. Cornelius hic.

Benedicat terra Dominum, laudet, & superexaltet eum in sæcula. Dan. 3. 74. Uni dicitur terræ, ut Deum non benedicat solùm, sed & superexaltet. Et tamen ad cœlum magis ista exaltatio spectare videtur; quod & Deiseds est, & altior terra. Puto, duplici causa id terræ mandari: I. Quia humilitas sui inclinatione maximè Deum elevat. II. Quia humili plura suppetunt celebrandi Dei argumenta. Nam terra humilitatis imago, licèt reliquis elementis inferior, illa tamen militare suis commodis miratur. Fulget cœlum; sed fœcunditati terræ adlaborat. Sol splendet; sed suis fovet radiis fœtus agrorum: Luna crescit; sed plantis famulatur: aer, & aqua, terræ inservit. Ità, quò quis humilior est, eò magis sibi ancillari stupet vel reges. Quin terra docet, cœterarum virtutes concludi, tegique humilitate. Solis unus fœtus est splendor; una cœli soboles, astra; maris una piscium propago; aeris unica fœcunditas, volucres: terræ autem quàm varia, & multiplex fœcunditas florum, fructuum, segetum, quadrupedum, metallorum. Oliva l. 12. Strom.

Facite homines discumbere: erat autem fœnum multum in illo loco. Joan. 6. 10. Poterat stantibus cibum dare! cur vult, ut sedeant, & super fœnum? Non enim beneficia divina dantur superbè stantibus; sed humiliter jacentibus super fœnum. Eusebius Emiss. quicumque igitur, qui vis satiari de panibus Christi; discumbe priùs super fœnum; imò priùs te fœnum esse, cognosce. Sylveira in Luc. 23. q. 13. Super fœnum discumbentes saturantur: quia humiles tantùm refectione Domini digni judicantur. S. Honorius D. 4. Quadr.

Ex

Ex Patribus, & aliis.

Cum timore, & tremore, vallem facite, imbrem suscipite. Depressa implentur, alta siccantur: gratia pluvia est. Quid ergo miraris, si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. S. August. s. 2. de Verb. Ap.

Tunc pœnitentiæ fides habetur, cum humilitati conjuncta est. Eam ob rem Sanctorum nobilissimi, ac in eis Principes, tum maximè humilitatem spectant, cùm humanis majora, ac diviniora, fuerint assecuti. Ubi suis verbis Abraham istud intexuit: ego sum terra, & cinis. Gen. 18. 27. tunc maximè naturam agnoscendo, naturæ modos præstantia transcendit. Modus amplificandæ gratiæ, vis est humilitatis. S. Basilius Seleuc. or. in illud, nisi conversi fueritis &c.

Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat; sic nec gratia humilem, quin illi se infundat. S. Laurent. Just. de humilit. c. 3. Lign. vit.

Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. S. Bernardus hom. 4. sup. Miss.

Fons gratiæ in cor hominis, carnalis scilicet, & terreni, non ascendit. Sed quid est, in cor hominis non ascendit? utique quia fons est, & ascensum nescit. Scimus enim, quia fontium natura est, rivos sectari convallium, montium arduà declinare. Id. s. 4. in Vig. Nat.

Sicut aqua semper fluit ad valles, sic Dei gratia ad humiles. S. Bonav. s. 2. de S. Andr. Apost.

Valles in seipsis frumentum, spiritualemque multiplicant fructum. Vallis est humilis anima inter medium montium, sine arrogantia semper, atque immobilis permanens. Joan. Clim. gr. 25.

Qui seipsum ex intimi animi sensu, & affectu, novit; jam in terra seminavit: nam nisi ità seminemus, fieri non potest, ut floreat humilitas. Idem ib.

Hydria Lem. *Subsidum, ut implear.* Quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior, colles enim aquam repellunt, valles implentur. S. Aug. s. 74. de temp. Picinelli.

§. VI.

Humilitas est mater sapientiæ, scientiæ &c.

Symbola.

MAjor pars venit Beniamin. Gen. 43. 34. Beniaminus semper innocuus Josepho conjunctior. Lyr. designavit, quòd humiles sint doctrinæ, & sapientiæ, magis capaces. Quantò humiliùs sedebat, tantò ampliùs capiebat.

Collyrio inunge oculos tuos. Apoc. 3. 18. Collyrium hoc est humilitas. q. d. ait Rupertus: cor tuum vera humilitate purifica; ut paupertatem tuam videas, & divitias bonitatis Dei agnoscas. Cornelius hic.

Confiteor tibi Pater Luc. 10. 21. Somnia Pharaonis non revelavit Deus Sapientibus Ægyptiorum; sed humili Josepho captivo. Oculi eminentes imbecilli visus; submissi meliùs vident. Stella in Luc. 10.

In fonte, aut profunda fovea, de die stellas licet videre. *Abscondisti hæc à sapientibus &c.* Luc. 10. 21. Berengarius l. similitud.

Humilitas est Soror Sapientiæ. Hoc signatur in genibus; quæ mira fraternitate oculis jungintur: nam, cùm quis gignitur, ita formatur, ut genua sursum ad oculos teneantur; quorum conjunctione foramina oculorum causantur. Geminiani l. 6. de Similitudin.

Testimonia.

Ex Veteri.

Intellectum dat parvulis. Ps. 118. 130. *Tulistis clavem scientiæ.* Luc. 11. 52. humilitas est clavis scientiæ. Hugo Card. in Ps. 118. ad rerum divinarum contemplationem ingredi non possunt superbi. Idem.

Ut detur parvulis astutia. Prov. 1. 4. Cum parvulis congruè apponitur astutia; quia eam parvis rebus indidit Deus, juxta illud: ingenio pollet, cui vim natura negavit. Hinc vulpes astutior leone, canis sagacior asino, simia solertior bove; parvæ aves magnis astutiores, parvi homines magnis. Quid prudentiùs formicis, & apibus? Cornel. hic.

Inclina cor tuum. Prov. 2. 2. Docet hic Salomon viam, & modum, acquirendi sapientiam; qui est, inclinare cor suum ad sapientiam; eique totum cordis sinum magna attentione, humilitate, & aviditate, expandere. Cornel. hic. Inclina per humilitatem cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Ubi humilitas, ibi Sapientia. Hugo Card. hic. Inclinare, est cor ad cognoscendam prudentiam humiliare; & emundare cor, quod dignum fiat ad percipienda mysteria veritatis. V. Beda hic.

Si quis est parvulus, veniat ad me. Prov. 9. 4. S. Gregor. l. 34. mor. c. 15. Salomon ad sapientiam parvulos vocat: qui enim necdum semetipsum despicit, humilem Dei Sapientiam non apprehendit. *Ubi est humilitas, ibi & sapientia.* Prov. 11. 2. Si quæritis veram sapientiam, detis vos ad veram cordis humilitatem. Thom. Kemp. s. ad Novit. p. 2. s. 3.

Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ. Prov. 18. 4.

Si inclinaverim aurem tuam, excipies doctrinam. Eccli. 6. 34. In hac aurium inclinatione humilitatem agnoscit. Hugo Card. Dion. Carth.

Quia repleta est terra scientia Domini. Is. 11. 9. Quæ est scientia Domini, quæ mira hæc efficit, nisi humilitas Domini? S. Rupertus l. 2. in Is.

Ex Novo.

Venite ad me. Matth. 11. 28. Quò? ad me. Quà? per humilitatem. Quò fructu? *ego vos reficiam.* Sanct. Bernardus tr. de gr. humilit.

Quomodo possunt hæc fieri? Ioan. 3. 9. Non potest ab ignorantia detineri, qui humiliter, docere scientem, interrogat. Initium est ad scientiam, ignorata quærere à sciente, nec vereri erubescens super eis. Simon Cass. l. 11. c. 6.

Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? Joan. 3. 10. Humiliare illum studuit ad divinam doctrinam capessendam. Idem ibidem.

Ego sum, qui loquor tecum. Joan. 4. 26. Cur Dominus se Messiam apertè manifestat Samaritanæ, non verò Judæis interrogantibus Joan. 10. 24. *quò usque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm.* Imò Matth. 16. 20. *tunc præcepit Discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset JESUS Christus.* Sanctus Chrisostom. hom. 32. fidelior Samaritana erat Judæis? qui non discendi, sed arguendi, causa rogabant; nam si discere voluissent, verborum, Scripturarum, & miraculorum, eis sufficiens fuisset doctrina. At hæc mulier tantùm simplici affectu Messiam desiderat; ideo se illi revelat: facilè humilis simplicitas apprehendit. Sylveira hic.

Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Act 8. 31. Non ægre tulit Eunuchus, nec indignatus est, neque se contumeliæ affici existimavit: quod plerisque insulsis accidit; quos pudet ignorantiam suam confiteri; & ab eis discere, qui docere valeant; & frequenter malunt in prepetua versari ignorantia. S. Chrysost. hom. 35. in Gen.

Ex Patribus, & aliis.

Nemo magis potest videre divina, nisi qui humilitatis sua conscius nescit extolli. S. Ambr. lib. de Vid.

Qui didicerunt à D. Jesu Christo humiles esse corde? plus cogitando, & orando proficiunt, quàm legendo, & audiendo. S. August. ep. 112.

Amat Christus infantiam, humilitas magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. S. Leo. ser. n. 7. in Epiph.

Humilitas sapientiæ mater est. S. Chrys. hom. 48. in Matth.

Hoc ingens est operæ pretium studii Sapientiæ, ut, qui rectè magnus factus est, submisso, & puro, corde sit, & vitam condemnet; neque conscius fuerit; quod seipsum Deo dignum reputaverit. S. Gregor. Nyss. de scopo Christiani.

Quæ revera cognitio est, atque scientia; humilitati conjuncta reperitur. S. Ephrem ad eversion. superb.

Malus mercator est, qui se decipit; qui se appretiat plus, quàm valet. Sed, alios appretiare, & se despicere; hoc est principalissimum studium sapientiæ. S. Bonav. ser. 19. hexam.

Humilitas est sapientiæ solium, gratiæ pallium, & gloriæ præludium. Id. in Ps. 118.

Summa totius Philosophiæ Christianæ hæc est; ut ducem nostrum Jesum per veram humilitatem sequi contendamus. Bolosius par. an. cap. 7.

Coram infinita illa sapientia plus valet parva quædam decomparanda humilitate cura, & unicus ejus actus; quàm omnis totius Mundi scientia. Ex luminibus, & dogmat. Spirit. Sanct. Theresiæ.

§. VII.

Humilitas est basis; substantia virtutum, & sanctitatis.

DEscendit hic justificatus. Luc. 18. 14. Si humilitas cum peccatis tantum valet, ut etiam Pharisæi sanctitatem superet; quid effecisset eadem humilitas cum pietate conjuncta? Stella hic.

Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat. S. Gregor. hom. 7. in Joan.

Magna, quæ agimus, quasi minima ducimus: cùm hæc per fortium exempla pensamus. Sed tunc apud Deum crescunt per meritum, cùm apud nosmetipsos per humilitatem decrescunt. S. Gregor. mor. l. 30. c. 9.

Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas: nec in cœlo stare potuit superba sublimitas. S. Cyprian. de Nat. D.

Parva est cujusvis virtus corporis; nisi major simul adsit virtus animi. Tota namque illa mira vis Samsonis, non ab ossibus tantùm, sed à spiritu erat in capillis. Virtutis autem Spiritus humilitas est. S. Cyrill. in Apolog. cap. 18.

Virtutum bonum quoddam, ac stabile, fundamentum, humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. S. Bernardus de consid. ad Eug. lib. 5.

Pretiosissimus fundus virtus est; bonus fundus humilitas; in quo omne ædificium constructum spirituale crescit in templum sanctum in Domino. S. Bernardus ib. l. 2.

Vana est omnis exercitatio, omnis temperantia, omnis obedientia, omnis voluntaria paupertas, omnisque disciplina multijuga, humilitate destituta. S. Ephrem. adversf. superb.

Humilis ædificat super petram, superbus super arenam. Richard. à. S. Victor. in die Paschæ.

Virtus non est; nisi conjunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum rectè jecerit, poterit, in quantam volet altitudinem structuram excitare. Hæc maxima est munitio, hæc murus inconcussus, hæc inexpugnabilis turris; hæc omne continet ædificium; non sinens ipsum, vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituum vi, dejeci; sed omnibus insidiis inaccessum facit, & invictum; quasi ex adamante constructum esset; magnasque nobis largitatis retributiones affert. S. Chrysost. hom. 35. in Gen.

Unusquisque humilitate supposita tutissimè cuncta alia superponit ædificans: hac verò subducta, etiamsi usque ad ipsum cœlum conversationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. Idem hom. 15. in Matth. 5.

Quod igitur caput virtutis est? - humilitas certè. - Hoc caput, etsi nec cæsariem, nec crines habeat; sic tamen pulchrum est, ut Deum ad seipsum attrahat. Idem hom. 48. in Matth. 13.

§. VIII.

Humilitas est via ad cœlum.

Ego sum ostium. Joan. 10. 9. Qui per januam intrat humilis est; qui per aliam partem ascendit, superbus est. Ideo dixit illum *intrare*, illum *ascendere*: sed ille intrando recipitur, ille ascendendo præcipitatur. S. August. in Ps. 95.

Quid factura fuerat humana, & vana, præsumptio; quantamlibet in cœlum adversùs Deum, altitudinem molis extolleret; quando montes transcenderet universos, quando spatium nebulosi hujus aeris evaderet. Tutam, veramque, ad cœlum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum. S. Aug. de Civit. l. 18. c. 14. apud Octavianum de Tusso in Eccl. 18.

Humilitas est cœleste instrumentum, quod ex abysso peccatorum in cœlum animam levare potest. Joan. Climac. gr. 25.

Via paradisi est humilitas. S. Vincent. Ferrer. s. 14. de morte quadruplici.

§. IX.

Humilitas ardua virtus, excellens, honorata &c.

Ex Veteri, & Novo.

Profectique filii Israel. Ex. 12. 37. Israeliticus populus unius noctis spatio Ægyptiorum excussit jugum, seque in desertum dedit; at in deserto quot dies, quot annos consumit? Richardus à S. Victore de exterminio mali tr. 1. c. 12. proculdubio non est ejusdem facultatis, & facilitatis; Ægypto exire, & eremum pertransire; Mundum relinquere, & seipsum vincere. Illud unius diei opus est; hoc vix post multa tempora explemus. Durum, difficile, grande; seipsum bene inspicere, & plenè despicere; perfectè probare, & penitus improbare.

Facilè est umbram crescere. 4. Reg. 20. 10. q. d. inquit Abul. cùm ascendere sit facile, non peto istud, sed contrarium: ut miraculum appareat. Ascendere de linea ad lineam; de gradu ad gradum; de dignitate ad dignitatem; facile est: quia inclinationi nostræ valde conforme. At verò retrocedere, ex culmine dignitatis ad humilia descendere, miraculum apparet. Paoletti s. 24. de S. Philippo Benitio.

Accessit ad eum mulier, Matth. 26. 7. *Maria accepit librum unguenti*. Joan. 12. 3. Toletus hic; Matthæus nomen tacet, quia caput unxit; Joannes nominat Mariam, quia pedes. Joannes Damasc. or. de dormit. Mar. Maria unxit pedes JESU, quia in Maria humilitatem in honore habet. Duæ sunt Dominæ: una est, quæ non habet nomen speciale, quia indigna est nomine: Domina illa est superbia. Alia est humilitas, quæ vocatur Maria. Lib. 1. c. 29. Revel. S. Brigittæ.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. 46. Tunc anima nostra verè Deum magnificat, quando sub ipso seipsam capitvat, & humiliat. S. Bonavent. hic.

Ex Patribus.

Quia originem perditionis nostræ se præbuit superbia diaboli; instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. S. Gregorius l. 4. ep. 37.

Vestra atma jejunia sunt, vestra pugna humilitas est. S. Chrysostomus hom. 13. in Marci 11.

Quod igitur caput virtutis est? humilitas certè. S. Chrysost. hom. 48. in Matth.

Nihil conferendum humilitatis virtuti: ipsa enim mater est, & radix, & columna, & fulcimentum, & vineulum bonorum; Sine illa abominabiles, & scelesti, & immundi sumus. S. Chrysost. hom. 30. in acta.

Quia illis maximè laborare opus est, ut veram consequi humilitatem possint qui magnarum sibi virtutum conscii sunt; magnam sibi vim inferant, necesse est, ut conscientiam rectè factorum sese semper efferentem obtundere queant. Idem hom. 3. in ep. 1. ad Timoth. c. 1.

Si non potes sublimem incedere semitam virginitatis; sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis. S. Bernardus hom. 1. sup. missf.

Gloriosa res humilitas; qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, nè vilescat. Idem tr. de gr. hum.

Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis: quò enim celsior cœteris, eò humilitate apparet Illustrior & seipso. Idem l. 2. de consid. ad Eug.

Decor animæ humilitas est. Id. s. 45. in Cant.

O humilitas, ò sublimitas! & tabernaculum Cedar, & sanctuarium Dei! & terrenum tabernaculum, & cœleste palatium; & domus lutea, & aula regia! Idem s. 27. in Cant.

Qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates; multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, ascendentes equidem ex adverso. Nihil verò facilius est volenti, quàm humiliare semetipsum. Idem ser. 2. in capite jejunii.

Quemcumque humilem conspexeris; Dei esse filium confidenter credere debes. B. Cæsarius Arel. hom. 13. de V. A.

Semper ex mensura humilitatis pendet mensura magnitudinis. Richard à S. Vict. c. 32. de erud. hom.

Maximus est animæ decor, si, post omnium virtutum perfectionem, humilitatem possideat; & cùm magni sit meriti, magnam se esse nesciat. Idem c. 3. in Cant.

Magnus thesaurus magna eget custodia: fur enim semper sollicitus est, ut effodiat, ut furetur, ut traducat. Erat Apostolis pretiosus, & inæstimabilis thesaurus ipsa Redemptoris gratia, & divinum ejus Collegium. Hujus thesauri custodem oportuit esse humilitatem. *Discite à me, quia humilis sum*. Matth. 11. 29. Hildebertus ep. 71.

Humilitas omnium virtutum est maxima; cùm tamen virtutem se esse nesciat. Guarricus Sabbat. 2. hebd. Quadr.

Superbiat, ò humiles, anima vestra glorians in humilitate sua; omnemque altitudinem hujus mundi longè sub pedibus suis jacentem despiciat; indignumque judicet gloriæ suæ, ad concupiscentiam vilis prædæ, suam ulterius majestatem inclinare. Quid? jam jam tollenda es in cœlum, & nunc te demum mergeres in cœnum? Te præstolatur Curia Sanctorum, & præponeres societatem dæmoniorum? Idem serm. in sol. OO. Sanctorum.

Humilitas suscepta pro Christo regiam præfert dignitatem. Gilbertus s. 18. in Cant.

O sancta humilitas tu omnium te novissimam credens, cœteros honorabiliter antecedis, dum descendis, ascendis: Dum gloriam fugis, acquiris: dum latere cupis, efficeris manifesta. Deformitatem tuam sæpissime intuens: ò quàm pulchra es in oculis Domini ex venustate tua, & faciei tuæ splendore, summi regis Filius adamavit te, & te suo fecit dignam connubio &c. S. Laurent. Just. de triumph. ag. 3. c. 3.

Melior est purpurata humilitas, quàm pannosa superbia. Blesens. Invectiva in quemdam depravatorem oper. suor.

Humilitas est proprium, atque magnificum, donum Salvatoris. Cassianus Collat. 15.

Nulla major altitudo est, quàm propter Deum profunda humiliatio. S. Thom. Vill. conc. de S. Michaele.

Humilitas suo modo est ambitiosissima, cupidissima; maximi cordis, & altissimi spiritus: quia dedignatur impleri, nisi summo honore, nisi summis divitiis, nisi summa gloria. Joan. Gerson. s. in Cœna Dom.

§. X.

Humilitas est potens, victoriosa.

Num. I.

Symbola.

Issachar asinus fortis. Gen. 49. 14. Tot laboribus exantlandis, tot oneribus ferendis, satis videbatur si generosius aliquod animal, ut camelus &c. in comparationem daretur. Quæritur tamen quadrupes vilissima conditio; ut hujus justi fortitudo, non solùm oneris oppressione, sed etiam honoris jactura probaretur. Richardus à S. Vict. istud internum gaudium, est illa terra, quam Issachar vidit, & concupivit; pro qua asinus factus, & effectus fortis, libenter supposuit humerum ad portandum. Multùm sibi viluerat, qui se asinum, animal scilicet præ cœteris vilius, reputabat. Vilis ergo ut jumentum, fortis ad se mortificandum, habitamus inter terminos. Pene, non plenè, hanc morientium terram desruerat; penè, non plenè, illam viventium terram apprehenderat, qui inter terminos habitabat: quia

quia vilissimis, quia paucissimis hujus vitæ bonis contentus erat. Hujus terræ miseræ extrema tenebat; quia per frequentes mentis excessus vitæ perennis dulcedinem prægustabat, illius beatæ terræ initia contingebat. Ramirez in epist. Christ. &c. epist. 3. Apoc. 2.

In mandibula pulli asinarum delevi eos &c. Judic. 15. 16. Quid est, per jacentem mandibulam asini mille viros occidere; nisi per linguas humilium, atque simplicium, perfectum non credentium numerum à pravitatis suæ statu dejicere, atque ad humilitatem Christi per sanctæ prædicationis officium inclinare. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 17.

Ascendit Jonathas *manibus, & pedibus, reptans*. 1. Reg. 14. 13. Manifestum est majora tentationum obstacula majore virtutum nisu debere transcendi? quod tunc ritè perficitur, cùm armatus contra hostem humilis auditor spiritualis per omnia sequitur exempla præceptoris. V. Beda hic.

Aristoteles in Problem. S. 25. q. 9. quærit: cur aer, qui luce crassior, solida valeat permeare; lux ipsa non possit? an quia lux per directum tantùm fertur? At aer impedimento nullo arcetur: quoniam quà transit, tendere è directo non solet. q. d. aer locum sæpe invenit, ubi luci negatur introitus, & via obstruitur: ille quippe novit se flectere, torquere, accommodare. Sic, qui novit curvare ad obsequium cervicem, flectere ad reverentiam poplites, inclinare ad gratiam caput; ille in impeditissima, & obturata planè loca, insinuare se potest. Qui de sua gravitate remittere, descendere de celsitudine, existimatione sui scit cadere; ille facilè quacumque ingreditur, & componit omnia. At qui per directum semper velut lux vult tendere; nec de suo honore, ac jure aliquid aliquando cedere; difficilè obtinebit, quod cupit. Didacus Nyss. Vit. Abraham. l. 2. cap. 4.

Humilitas similis magneti; etiam mentes ferreas trahit, & placat. Geminiani l. 2. similit. c. 14.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri.

Pascebat servus tuus. 1. Reg. 17. 34. Sanct. Antonius de Padua. D. 2. Quadr. Ego servus tuus. O margarita fulgens? O narde redolens! Ego, inquit, servus tuus! humilis servum se reputat, minùs de se sentit, quàm in se sentit. Iste humilis servus interficit leonem superbiæ, & ursum luxuriæ.

Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli &c. 1. Reg. 17. 44. Provocavit Golias David: provocavit impietas pietatem, provocavit superbia humilitatem; postremò provocavit diabolus Christum. Quid miramini diabolum victum? Ille erat grandis statura corporis; iste autem statura parvus, sed fide magnus. S. Augustinus in Psalm. 143.

Numquid vox hæc tua? &c. 1. Reg. 24. 17. Vide, quàm efficax fuerit vox Davidis, quàm potens humilitas; quæ adamantinum cor Saulis confregit, ac mite, placidumque, reddidit, & in lacrymas amoris solvit. Corn. hic.

Ludam, & vilior fiam, plus quàm factus sum. 2. Reg. 6. 22. S. Gregor. mor. l. 27. cap. 27. Quid alii sentiant, ignoro. Ego David plus stupeo saltantem, quàm pugnantem: pugnando hostem subduxit; saltando coram Domino seipsum vicit: &, cùm despiceretur, dixit: *ludam &c.* quasi diceret; vilescere coram hominibus appeto.

Corruens in terram adoravit. Job 1. 20. Job prostratus dejecit diabolum; alium humiliavit, exaltatum supplantavit. Confudit fortem, deformavit elatum. Orig. l. 1. in Job.

Ibi abscondita est fortitudo ejus. Habac. 3. 4. Quæ est fortitudo tua, nisi humilitas? Drogo. Ostiens. de Sacr. Dom. Pass.

Ex Novo.

Ecce Magi &c. Matth. 2. 1. Cùm tres Magos ad adorandum Jesum novi fideris claritas deduxisset; non eum imperantem dæmoniis, non mortuos suscitantem, &c. vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt; sed puerum silentem, quietum, & sub matris sollicitudine constitutum: in quo nullum apparebat de potestate signum; sed magnum præberetur de humilitate miraculum. Tota victoria Salvatoris, qua & diabolum superavit, & Mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. S. Leo s. 7. in Epiph.

Discite à me, qui sum humilis corde. Matth. 11. 29. Non ait, discite à me quatriduanos mortuos suscitare; sed ait: *discite quia humilis*: potentior est enim ac tutior, solidissima humilitas; quàm venustissima celsitudo. Sanctus Aug. de Trinit. l. 8. cap. 7.

Ut describeretur universus orbis. Luc. 2. 1. Cur Christus tunc natus? Hugo à S. Victore: cùm Roma victrix super omnia regna caput superbo fastu extulisset; tunc, dominante superbia, humilis venit; ut de sua humilitate celsitudinem Mundi sterneret: manifestè demonstrans; quantus in sua majestate foret, qui in nostra infirmitate positus universa dejecit. Unde tota Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ; sed in vera, & voluntaria humilitate consistit: quam Dominus Jesus Christus, ab utero matris, usque ad supplicium Crucis, pro omni fortitudine, & elegit, & docuit. S. Leo s. 7. in Epiph.

Nolite timere pusillus grex. Luc. 12. 32. Vide, quo titulo timorem depellat; *pusillus grex*: Imò ob hoc vel maximè timere debent, quòd sint *pusillus grex*: nam juxta Sanct. Chrysolog. ser. 32. pusillum gregem humiles vocat: quia humilitas omnem prorsus timorem excutit, & fortes reddit. Pinna in Eccl. Ethol. 221.

Non est nobis colluctatio adversùs carnem - propterea accipite armaturam Dei. Ephes. 6. 12. 13. Lucta pugilum fit solis manibus; arma impedimento. Optimè armatus nudus per humilitatem, 2. Cor. 12. 9. *libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Pinna in Eccl. Ethol. 40.

Adjuvit terra mulierem. Apoc. 12. 16. Sanct. Andreas Cæsariens. hic: terra juvit illam: juvit autem Sanctorum submissione. Qui verè, rectèque dicere solent, ego sum terra, & cinis; omnes superbi diaboli vires ênervant. Nihil enim diaboli vires ità frangit, ut humilitas. Eusebius Gallic. s. 1. de Epiph. quælibet tribulatio ità ab humilitate mitigatur, ac vincitur; sicut in planis littoribus sine aliquo fragore unda consumitur.

Ex Patribus.

Omnis fottitudo in humilitate: quia fragilis est omnis superbia. S. Augustinus in Psalm. 92.

Humilitatem exerceamus; nihil enim illa potentius. Sed & petra est fortior, & adamante solidior; & in majorem nos securitatem collocat, quam quæmvis turres, urbes, muri: omnibusque diaboli machinationibus sublimior facta contingere volentibus insuperabiles facit. S. Chrysost. s. 20. in ep. ad Rom. 2. 12.

Dilige humilitatem: nam, quæ secundùm Deum est humilitas, murus firmus, & inexpugnabilis est à facie inimici. S. Ephrem. paræn. 46.

Humilitas est turris fortitudinis à facie inimici. Jo. Climac. gr. 25.

§. XI.

Humilitas vincit, pellit dæmonem.

Nihil, ut divo Antonio ab Angelo nuntiatum est, diaboli vires ità frangit, sicut humilitas. S. Andreas Cæsariens. s. 12. in c. 12. Apoc.

Cuidam fortissimo athletæ Christi, qui ad hanc beatissimam virtutem (humilitatem) festinabat, impuri dæmones laudem in corde subseminabant. At ille divina inspiratione malignorum spirituum nequitiam pio, & religioso compendio vincere agreditur. Describit in cellulæ pariete altissimarum virtutum appellationes; putà perfectæ charitatis, Angelicæ humilitatis &c. Cùm ergo illum cogitationes extollere cœpissent, dicebat illis: eamus ad arguentem; advenienque relegabat appellationes illas, sibique ipsi clamabat: cùm has omnes possederis, tunc scies, quàm longè, adhuc à Deo sis. Joan. Climac. gr. 25.

S. Macario in via occurrens diabolus, falce eum frustrà percutere nitebatur; dixitque ei, magnam à te vim patior Macari; quia adversùm te nihil valeo. Ecce enim, quidquid tu facis, & ego facio: jejunas, & ego: vigilas, & ego non dormio. Unum est, in quo me superas. Quod est illud? interrogat Macarius. Respondet: humilitas tua; & ideo extra te nihil possum Bolland. 15. Jan.

S. Paulus simplex agricola, uxorem in adulterio deprehensam deferens, sit monachus, discipulus S. Antonii, simplicissimè obediens. Dæmoniacum justus à Sanct. Antonio curare, fusis precibus dicit ad dæmonem: dixit Abbas Antonius, egredere ab homine. Dæmonium respondet; non egrediar. Accepta pelle sua ovilla verberat eum in tergo dicens: egredere, dixit Abbas Antonius. Ad hæc diabolus egressus clamans: discedo: Pauli simplicitas, & humilitas, me expellit. Bolland. 7. Martii ex histor. Lausiaca Palladii cap. 22.

§. XII.

Humilitas trahit, rapit corda; persuadet.

Vir luctabatur cum eo. Gen. 32. 24. Rediens Jacob è Mesopotamia angelum sibi obsistentem invenit; cum quo luctatus femoris nervorum tetigit; qui mox emarcuit, & Jacob claudus perstitit. S. Chrysost. hom. 85. in Gen. totum hoc factum est, ut se totum humilitati ejus attemperaret, & formidinem ex anima justi eximeret; & persuaderet ei, ut citra angorem fratri occurreret. q. d. modica Angelus Jacobo ostendit, quo iratum fratrem emolliret; timebat enim, nè memor adhuc esset Esau illatæ injuriæ: contracto nervo id facilè consecutus est: necesse est enim, ut claudus obvio se reverenter dimittat. Pinna in Eccles. 6. Ethol. 72.

Ado-